

tum supra lib. I. tit. VI. *de Electione*. § 2. n. 33. et 34. addita illa ratione: Quia prima vacatio beneficii, vel prælaturæ, durat usque ad confirmationem alterius prælati, arg. c. *Quam sit ecclesiis*. 6. eod. in 6. ac notat Glossa in clem. 1. §. *Collato*. et Abbas ibid. n. 1. *Ut lite pendente*, etc.

Hoc ipsum fit, quando electus ad prælaturam, seu beneficium, intra mensem a tempore electionis sibi præsentatæ computandum, consensum electioni suæ præstare distulerit, c. *Quam sit Ecclesiis*. 6. § *Electus*. *de Electione*. in 6. Item, si electus intra tres menses post consensum electioni præstitum, non petierit confirmationem, cit. c. *Quam sit Ecclesiis*. § *Cæterum*. *de Electione*. in 6. Aut (si eadem confirmatio ad Sedem apostolicam pertinet) electus per se, vel per suum procuratorem legitime instructum, intra unum mensem post consensum, ad Sedem apostolicam iter arripere neglexerit, c. *Cupientes*. 16. *de Electione*. in 6. estque jam dictum supra lib. I. tit. VI. *De Electione*. § 13. n. 313. et seqq. et 319. ac seqq.

XVII. Simile quid contingit, quando electus ante obtentam confirmationem sese administrationi immiscere præsumperit: nam ipso facto privatus existit jure sibi ex electione quæsito. arg. c. *Avaritiæ*. 3. *de Electione*. in 6. juncta Glossa ibid. §. *Privatos*: estque ex professo dictum supra cit. lib. I. tit. VI. *de Electione*. § 2. n. 40. et seqq.

Id ipsum dicendum est de cassatione electionis: ut c. *Consideravimus*. 10. *de Electione*. et c. *de Electione*. 26. eod. in 6. Ac de repulsionem factæ postulationis, cap. I. et II. *de Postulat. prælati*. et Extravag. *Ex debito*. § *Hujusmodi*. *de Electione*., inter commun. Quamvis, ut dictum, et notat Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 15. n. 52. et 57. isti non sint proprie dicti modi vacationum, eo quod prior vacatio adhuc duret, et quidem usque ad confirmationem alterius prælati: qualis confirmatio in proxime relatis casibus non intervenit, ut patet.

Resp. IV. Spectando varias constitutiones apostolicas, extra corpus juris canonici reatas; ulterius, et XVIII. Vacat ipso jure beneficium, imo et pensio clerici, tonsuram, et habitum clericalem, vestes scilicet talares, non deferentis. Patet hoc ex constitutione 92. Sixti V. *Cum sacrosanctum*: ac notat cum aliis Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57. num. 217. estque amplius declaratum supra tit. I. *de Vita et ho-*

*nestate clericorum*. § 3. num. 64. et seqq.

XIX. Vacant ipso facto beneficia resignata, seu cessa, non servata forma publicationis, in constitutione 85. Gregorii XIII. *Humano viæ judicio*, præscripta: estque jam dictum supra lib. I. tit. IX. *de Renuntiatione*. § 6. num. 129. et seqq. ac notat Barbosa d. allegat. 57. n. 244. citans alios. Idemque dicendum de beneficiis parochialium Ecclesiarum, per consensum conferendis juxta concilium Tridentinum sess. 24. cap. XVII. *de Reform.* quando in eorum collatione non fuit servata forma præscripta in constituto. 33. B. Pii V. quæ incipit: *In conferendis*: de qua paulo superius dictum est, nempe § 5. num. 148. et 149.

XX. Vacant ipso jure omnia beneficia illorum, qui pro obtinendis per alios beneficiis se ipsos fraudulenter pro illis examini supponunt, etc., juxta constitutionem 12. Pauli IV. quæ incipit: *Inter cæteras*: ac refertur tom. I. *Bullarii Romani*.

XXI. Vacant ipso jure beneficia retinentium indebite scripturas spectantes ad Cæteram apostolicam, illasque non restituentium, nec non scientium, et non revelantium: ex constitutione Julii III. die ultima aprilis 1552, ut inquit Barbosa, cit. allegat. 57. n. 249. vel potius ex constit. 56 Sixti V. quæ incipit: *Non sine maxima*: ac refertur tom. II. *Bullarii Romani*.

XXII. Vacant beneficium ecclesiasticum ipso jure (sive per obitum, et non per resignationem) quando illud resignans, non supervixit viginti diebus: prout constat ex regula 19. Cancellariæ, quæ inscribitur, *Regula de viginti*: ac fusiùs declaratur supra lib. I. tit. IX. *de Renuntiatione*. § 3. num. 67. 68. et seqq. Tacentur nonnulli alii consimiles casus, de quibus extant speciales constitutiones apostolicæ, partim in *Bullario Romano*, partim in sæpe citato Barbosa, et Gonzalez videndæ.

Resp. V. Insuper ob complura crimina atrociora tum per sacros canones, tum per constitutiones apostolicas, reperitur inflicta privatio beneficiorum ipso jure. Sic cumprimis, atque XXIII. Vacat ipso jure beneficium ob crimen simoniæ realis, in ejusdem consecutione commissum: adeo quidem, ut præter pœnam excommunicationis, ipso facto contractæ, et Papæ reservatæ, quælibet provisiones, et collationes beneficiorum, quas simoniaca contigerit labe fieri, viribus omnino careant; et « aliquo eorum cuiquam jus

nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit adstrictus. » Ita textus expressus in Extravag. *Cum detestabile*. *de Simonia*, inter communes; de qua ex professo alibi.

XXIV. Huc accedit simonia confidentialis (quam *Confidentiam beneficiorum* appellant) qua quis cuiquam beneficium ecclesiasticum procurat eligendo, præsentando, resignando, confirmando, aut alia ratione, sub certa confidentia, seu pacto expresso, aut tacito, ut is, qui beneficium accepturus est, illud ipsum sibi procuranti, aut alteri v. g. fratri, vel nepoti suo, cum fructibus, sive aliqua horum portione suo tempore cedat. Nam quæcunque beneficia, per hujusmodi simoniam confidentialem quoquo modo recepta, aut in posterum recipienda, ipso jure a die receptionis vacasse, et vacare decrevit, atque declaravit Pius IV. in sua constitutione 85. *Romanum Pontificem*: quam innovavit beatus Pius V. in constitutione 85. quæ incipit, *Intolerabilis*: atque una cum priori habetur tom. II. *Bullarii Romani*.

XXV. Vacat ipso jure beneficium propter crimen Hæresis, arg. c. *Ut commissi*. 12. *de Hæretic.* in c. ibi: « Vel privatos nuntiandi dignitatibus, ac aliis beneficiis ecclesiasticis: » juncta constitutione 29. beati Pii V. quæ incipit: *Cum ex Apostolatus*: et habetur tom. II. *Bullarii Romani*: ac notat Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 15. n. 65; Flamin. Parisius, lib. III. *de Resignat. benefic.* quæst. 1. n. 31. et 32. Garcias, part. XI. *de Benefic.*, cap. x. n. 60. et 66. citans plurimos alios, et Rotam in una Mutinens. capellæ. 19 junii 1562, coram D. Paleoto; hancque appellans communem sententiam. Quamvis contrarium teneat Barbosa cit. allegat. 57, n. 228. §. *Sed contrarium*, cum nonnullis aliis.

XXVI. Vacant ipso jure beneficia falsariorum falsificantium litteras apostolicas, c. *Ad falsariorum*. 7. *de Crimin. falsi*. ibi, « Clerici, qui falsarii fuerint deprehensi, omnibus officiis et beneficiis ecclesiasticis perpetuo sint privati. » Gonzalez, d. gloss. 15, n. 73; Garcias, cit. part. XI, n. 270; Barbosa, ead. allegat. 57, n. 234. et alii.

XXVII. Vacat ipso jure beneficium percipientis aut capientis, etc., cardinalem S. R. Ecclesiæ, c. *Felicis*. § *Si qua vero*. *de Pœnis*. in 6. Aut episcopum, loquendo tamen de beneficiis in hujus Ecclesia obtentis, Clem. 1.

*de Pœnis*. Barbosa, ubi supra, n. 233. et 237 Gonzalez n. 74. et 75. cum aliis. Atque istud etiam procedit in beneficiis occidentibus, vel mutilantibus rectorem, aut alium clericum suæ Ecclesiæ, arg. c. *In quibusdam*. 12. § *Sacri de Pœnis*; Barbosa, loc. cit. n. 239. et 240, istud tamen intelligens de beneficiis illius Ecclesiæ, in quam deliquit percutiendo rectorem, vel clericum illius; non autem de beneficiis in alia Ecclesia obtentis.

XXVIII. Vacant ipso jure beneficia clerici ob crimen assassini, per ipsum procurati, vel mandati, etc. Textus est expressus in cap. I. *de Homicid.* in 6.

XXIX. Vacant ipso jure beneficia clericorum inferiorum, qui carcerant, captumque tenent clericum, donec resignaverit suum beneficium, aut, ne citati ad Sedem apostolicam venire possint, Clem. *Multorum*. § *Quod si inferiores*. *de Pœnis*. Similiter vacant ipso jure beneficia offenditium litigantes in Romana Curia, eorumque judices, advocatos, procuratores, notarios, testesque, et alios, ex constitutione 11. Alexandri VI. *In Eminententi*. § 4. ac refertur tom. I. *Bullarii Romani*.

XXX. Vacant ipso jure beneficia committentium nefandum crimen sodomie: ex constitutione 72. beati Pii V. *Horrendum*. illud §. 3. Imo tantum crimen perpetrantes jubentur degradari, ac curiæ sæculari tradj ad supplicium: ex constitutione 5 beati Pii V. quæ incipit, *Cum primum*. § 11. et citata constitutione 72 eiusdem; quarum utraque refertur tom. II. *Bullarii Romani*. Tacentur nonnulli alii casus, privationem beneficiorum ecclesiasticorum ipso jure inducentes, et apud auctores hactenus citatos videndi.

368. *Privatio seu vacatio beneficiorum ipso jure, in pœnam commissi, criminis statuta, regulariter non obligat in foro conscientie, ante sententiam declaratoriam. Refertur contraria quorundam sententia. Remissive.* — Solummodo nota, quod privatio, seu vacatio beneficiorum ipso jure in pœnam commissi criminis statuta, regulariter non obliget in foro conscientie ante sententiam declaratoriam judicis super crimine admissio: eo quod requirat externam executionem, sicque subintret dispositio c. *Cum secundum*. 19. *de Hæretic.* in 6. atque citatis pluribus auctoribus (quibus impræsentiarum addi potest Azorius, part. I. lib. VIII. cap. XIII. quæst. 8; Pirhing, tit. *de Concessum. Præbend.* n. 25, § *Porro*, Covarruvias, *de Matrimon.* part. II.



cap. vi. § 8, n. 9; Zerola in *Praxi episcop.* part. I. §. *Privatio*. § *Ad quintum omissis*, etc., allegans plures alios) ex professo dictum est supra lib. I. tit. II. *de Constitutionibus*. § 10, n. 227, 229. et seqq., solvendo contraria: ubi simul pro declaratione additi ly, «Regulariter, » referuntur casus, in quibus data regula fallit. Quibus adde casum simoniæ realis, in assecutione beneficii ecclesiastici commissæ: talis enim simoniaca receptio beneficii plenissime infirmatur per sacros canones, ac præsertim per citatam n. 361. Extravag. *Cum deestabile. de Simonia*, inter commun. Fatendum tamen, quod plurimis auctoribus pro et contra relatis, ac loquendo de bonis communibus (qualia sunt beneficia, et officia publica). Garcias, part. XI. *de Beneficiis*. cap. x, n. 7 et 8, ac n. 18, 20. et seqq. oppositum teneat; asserens, quod committens delictum, propter quod ipso jure privatur beneficiis, teneatur in conscientia dimittere illa ante sententiam; quem proinde, fusius de hac materia disserentem, benevolus lector videre poterit.

369. *Per sententiam amittitur beneficium, quando sententia privationis (condemnatoria videlicet) requiritur post crimen, etc.* — Quæritur II. Quid dicendum de vacatione beneficiorum per sententiam; et qualiter hæc differat a vacatione eorumdem ipso jure? Resp. I. Per sententiam amittitur beneficium, quando sententia privationis (condemnatoria videlicet) requiritur post crimen, vel aliam causam. Ita Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *De modis amittendi beneficia*, n. 50. cum communi. Quo modo, si clericus iudicium sanguinis exerceat, per sententiam suo est beneficium privandus, c. *Clericis*. 5. *Ne clerici, vel monachi*, etc., ibi: « Si quis tale quid fecerit, honore privetur, et loco. » Idemque dicendum de homicida, sacrilego, incendiario, perjuro, et aliis clericis hujusmodi gravia crimina perpetrantibus.

370. *Privatio beneficiorum nunquam est imponenda, nisi in casibus a jure expressis.* — Cæterum privatio beneficiorum ecclesiasticorum nunquam est imponenda, nisi in casibus a jure expressis, arg. can. *Apostolus*. dist. 81. juncta Glossa fin. ibid. Joan. de Selva *Tractatum*. tom. XV. tract. *de Beneficiis*, part. III. quæst. 2, n. 26. Rebuffus, loc. cit. num. 62; Gonzalez in reg. 8. Cancellar. gloss. 15. n. 136. citans alios: etsi non desint tenentes, quod, quandocunque delictum est grave, possit clericus beneficio privari, arg.

can. *Satis perversum*. dist. 56. et can. *Inventum est*. 16. q. 7. Et pro hac sententia plures allegat Gonzalez, ubi supra, n. 138. postea tamen horum sententiam intelligens in casibus a jure expressis; alias non. Nam, quod odia restringi, simulque in pœnis benignior sit interpretatio facienda, patet ex reg. 13. et reg. 49. juris in 6. cum concordantiis.

371. *Vacatio beneficii ipso jure, et vacatio seu privatio ejus per sententiam, differunt multipliciter quoad suos effectus.* — Resp. II. Vacatio beneficii ecclesiastici ipso jure, et vacatio seu privatio beneficii per sententiam, quoad effectus suos multipliciter differunt. Ita Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 57. n. 253; Alfons. Hoieda, *Tractatum*, tom. XV. tract. *de Beneficior. incompatibilit.* part. I. cap. XIII. num. 59. et seqq.; Gonzalez, d. gloss. 15. n. 140. et seqq. enumerans complures tales effectus. Ratio hujus desumitur ex dictis supra lib. I. tit. II. *de Constitutionibus*. § 10, n. 230, 231. et seqq. ubi ex professo ostensum est, quod ad incurrendam pœnam ferendæ sententiæ, v. g. privationis beneficii, requiratur sententia condemnatoria judicis, ac debeatur pœna solum a tempore latæ sententiæ. E contra vero, ut debeantur pœnæ ipso jure impositæ, sufficiat sententia declaratoria judicis super crimine admissio, quæ per quamdam juris fictionem retrahitur ad tempus commissi sceleris, cui pœna ipso jure imposita fuit; adeoque facta per judicem executione, debeatur pœna illa jam a die commissi criminis; prout amplius ibidem declaratur. Unde applicando eandem doctrinam ad casus, seu effectus speciales quoad propositum.

372. *Beneficium vacans ipso jure, vacat in puncto contracti, v. g. matrimonii, vel commissæ criminis; secus dicendum de privatione, sive vacatione beneficii per sententiam.* — Differt imprimis privatio, seu vacatio beneficii ecclesiastici ipso jure inducta, ab ejusdem privatione per sententiam condemnatoriam judicis: quod si vacat beneficium ipso jure, ratione alicujus capitis quæst. præced. enumerari, vacet illud in puncto contracti, v. g. matrimonii, aut emissæ professionis religiosæ, vel commissi criminis, etc., sicque ad dignoscendum, ut beneficium vacaverit in mense pontificio, necne, inspiciendum sit tempus vacationis ipso jure; non autem actualis amotionis ab injusta ejus perceptione, seu possessione. Secus dicendum de privatione, seu vacatione beneficii per

sententiam judicis: hic enim inspicitur tempus latæ sententiæ privationis, per judicem factæ. Gonzalez, ubi supra, n. 141. et 142. Barbosa, cit. n. 253. et alii.

373. *Data vacatione beneficii ipso jure, statim potest illud alteri conferri: secus, quando quis primum est eo privandus per sententiam.* — Secundo differunt: quia data vacatione beneficii ipso jure, etiam in pœnam delicti, statim illud conferri alteri, etiam non expectata sententia judicis, nec vocato possessore ipsius; quamvis, ut ille cui id collatum fuit, possit in talis beneficii possessionem induci, requiratur prævia citatio prioris possessoris, c. *Licet episcopus*. 28. h. t. in 6. Ubi Glossa §. *Te non vocato*, dispositionem illius decretalis intelligendam censet in omni eo casu, in quo quis beneficio privatus est ipso jure. Gonzalez, loc. cit., n. 148; Hoieda, ubi supra, n. 60; Barbosa, n. 255, allegans alios: atque concordant dicta superius n. 336. et seqq. Secus dicendum, quando quis primum est privandus beneficio per sententiam; tunc enim ante hujus prolationem neque vacat beneficium, neque alteri conferri potest.

374. *Beneficiarius, cujus beneficium vacat ipso jure absque crimine, v. g. ob contractum matrimonium, tenetur statim dimittere beneficium; et alioquin fructus non facit suos, etc.* — Tertio differunt: quia beneficiarius, cujus beneficium vacat ipso jure absque crimine, v. g. ob matrimonium contractum, vel assecutionem alterius beneficii incompatibilis, etc., ex tunc tenetur statim, etiam in foro Poli dimittere prius beneficium: et si secus attentare præsumperit, non facit fructus suos, sed ad illorum restitutionem tenetur etiam in foro conscientiæ. Hoieda, loc. cit., n. 61; Gonzalez, cit. gloss. 15, n. 150; Flamin. Parisius, lib. IV. *de Resigvat. benefic.* quæst. 1, n. 58. loquens de vacatione prioris beneficii ipso jure propter assecutionem alterius incompatibilis; atque citatis aliis subjungens, hanc esse communem opinionem. Accedit ratio, quia talis vacatio ipso jure non est statuta in pœnam delicti, ut opus sit prævia sententia declaratoria super ejus admissione (non enim peccat clericus minorista matrimonio iura contrahendo, vel aliud beneficium incompatibile recipiendo, dummodo prius dimittat, etc.) sed vacatio illa ipso jure inducta est propter assumptionem status matrimonialis, qui est incompatibilis cum clericatu; vel ob receptionem alterius beneficii incompatibilis cum priori, etc., sicque ipso facto

incurritur, ad evitanda plura cæteroquin secutura incommoda, etc.

375. *Idemque dicendum, quando ob crimen quis incurrit privationem beneficii ipso jure, ac secuta est sententia declaratoria super crimine admissio. Secus quando per sententiam condemnatoriam quis privatur beneficio.* — Atque hoc solum dicendum est, quando in pœnam commissi delicti quis incurrit privationem beneficii ipso jure, et secuta est sententia declaratoria judicis super crimine admissio: nam quia hæc retrahitur ad tempus commissi delicti, jam ab eodem tempore debetur pœna privationis beneficii ipso jure; sicque omnes fructus abinde percepti, restituendi sunt; prout amplius supra cit. lib. I. tit. II, n. 230, 231. et seqq. declaratum fuit. Secus dicendum, si quis per sententiam condemnatoriam judicis privatur suo beneficio: nam tunc pœna solum debetur a tempore latæ sententiæ, sicque possunt retineri omnes fructus antea percepti.

376. *Beneficiarius ipso jure privatus beneficio, non potest istud resignare, permutare, etc. Secus, si eodem venit privandus per sententiam.* — Quarto differunt: quia beneficiarius ipso jure privatus suo beneficio, non potest illud resignare in favorem alterius, nec alia ratione de eodem disponere, v. g. permutando, aut hujusmodi: et si secus attentetur, resignatio, vel permutatio est invalida; saltem secuta sententia declaratoria judicis, si vacatio ipso jure inducta fuit ob commissum crimen. Ratio est, quia nemo potest dare, v. g. resignando, permutando, etc. quod non habet. Glossa in can. *Gratia*. 1. q. 2. §. *Possumt*. Simulque « nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, » prout loquitur reg. 79. jur. in 6. E contra beneficiarius, qui venit privandus suo Beneficio per sententiam, potest resignare, permutare, etc., beneficium ante secutam privationem ipsius.

377. *Aliæ differentie Remissive.* — Tacentalia consimiles differentie quoad diversos effectus inter privationem, seu vacationem Beneficii ipso jure, et per sententiam, assignabiles: nam earum centum et quatuor accumulatur Tiraquellus in l. *Si unquam*. §. *Revertatur*. n. 168. c. *de Revocand. donation.* teste Gonzalez, ubi supra, n. 152.